



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata

In Qvatvor Tomos Distincta

Humanæ salutis Monumenta, & Odæ variæ

Arias Montano, Benito

Antverpiæ, 1589

In tabulam Christi de cruce depositi. Ode Tricolos Tetrastrophos. LXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44973

SACRIFICIVM SVMMVVM.

In famis suaeis fructus hæc sustinet arbos,
Quæ vitæ possunt commoda certa dare.

TIE. SACERDOTI MAX. PRO POP.
LITANTI S.

In tabulam Christi de cruce depositi.

Ode Tricolas Tetrastrophos. LXIII.

Q Valem reuulsis frondibus esculum,
Quam sœua ventis bruma niualibus
Orbavit vmbroso nitore,
Terra parens doluit videndo:
Quam post remissis frigoribus breuis
Horæ recepto robore viuidam,
Ramosque crescentem priores
Sperat auens bene prodituram;
Namque illa firmis indita stirpibus,
Vires tenaci cespite proiulit,
Qua viua subiecti caloris
Vis penetrat, recreatque terras:
Talem dolenti pector, & intimis
Perculta virgo visceribus, truci
Demissa ligno membra nati
Conspiciens, gemit, atque fulcit,
Quem culpa nostri sanguinis & nefas
Omni carentem crimine presserat,
Floremque delectum parenti
Contuderat furiata turba:
Ait efficaci numine compotem
Vita valentem munera mortuis
Præbere membris, & remotam
Corporibus reuocare lucem,
Tantis per almus dum veniat dies,
Et cedat atris nubibus oblitera
Nox illa, defunctum labore
Certa fide genitrix manebat.

E 4 INIMI-

HYMANAE SALVTIS

INIMICITIAE COMPOSITAE.

Cuncta, Deus dixit, trado tibi, quod mihi seruum
Tute ad mortiferam gesseris usque crucem.

INFEROR. EXPVGNATORI EXSPO-
LIATORIQ. FORTISS. S.

In tabulam Sepulchri Epitaphium.

Carmen Elegiacum. LXIII.

Miratura citò rediuiuum surgere corpus,
Marmorei filices antraque parua tenent.
Pignore deposito multum o felicia saxa, at
Pignore reddendo taxa beata magis!
Membra souete hominis, quibus est nil purius usquam;
Membra extincta hominis, viuida membra Dei.
Neu tabem, neu vos turpeis metuatis odores,
His procul ista malis est aliena caro.
Iam quod erat nostrae culpæ, mors eluit; ultra
Mortem pro nobis debuit ille nihil.
Nunc sibi (namque potest) vitam propriam ipse reponet;
Perpetuo & nobis viuere posse dabit.
Compositas igitur saxum hoc testabitu: iras,
Et renouata orbi foedera amicitia.

HYMANI GENERIS DIVITIAE.

Pressa labore grani pugnæ dum membra quiescunt,
Expoliat Barathrum Spiritus & tenebras.

IESU NAZARENO PRO MUNDI NO-
XIS OCCISO, REGNI CAELESTIS
HOMINVM CAVSA ASSERTORI
DEI FILIO VIVENTI, HOMINI
MORTVO EFFICACISS. SEPVLCH.
NOVVM AD TEMPVS BREVE, LX
DIV. CONS. DESTINAT. EST.